



NOBILISSIMO, CLARISSIMOQVE VIRO DOMINO D.

# CAROLO BOVVARD

## IN PRINCIPE GALLIARVM SENATV

### CONSILIARIO, DIVI FLORENTII PROPE SALMVRIVM ABBATI,

### SANCTÆ CAPELLÆ ARCIS VICENNARVM THESAVRARIO, &c.



COGITABAM (Senator integerrime) *nihil mihi contingere posse, aut optabilius ad ornamentum, aut meæ sorti accommodatius, quàm si tuo nomine meas theses insigniens, publicâ sempiterni obsequii testificatione, gentilitium decus tuum in tua persona colerem, atque venerarer: hoc meum consilium mihi penitùs cognita facilitas tua adiuuit, probauitque quâ me complexus es, beneuolentia; quibus ad id præstandum incitamentis accessit tuarum virtutum consideratio, atque circumspectio, quas prorsus esse maximas, & paternarum verè imitatrices, hinc perspicuè patet, quòd eas nuper Augustissimus Senatus, Christianissimi Regis voce sibi commendatas, honorificis laudibus, & singulari animorum consensione, dum te in suum Ordinem cooptaret, fuerit prosequutus; illis cùm omnium animos ad tui venerationem conuertas, quis non æquum duxerit, me aliquâ sanguinis affinitate tibi coniunctum, ad eas reuerendum, & sponte, & naturâ propendere? nec satis; quid quæso, cultus, & obseruantiæ me illi non debere arbitrarer, qui vt amplissimis Ecclesiæ dignitatibus, ita Themidis purpurâ magnificè splendescit, cuius summa, & liberaliter erudita ingenii sagacitas, nunc summæ iudiciorum auctoritati, & integritati opportunè consociatur, cuius denique parens, vir incredibili, ac pene diuinâ sapientiâ præcellens, Medicæ dignitatis assiduus vindex, gloriâ clarus, auctoritate grauis, pretiosæ Regis sanitati prudenter, fortunatéque consulendo, mirificè satisfacit omnium votis, & expectationi. Hanc propter rationum concursionem tibi addictissimus, meum erga te studium palàm significare volui, quod si tibi non iniucundum fuerit, ex te profectò gratiæ plurimùm mihi videbor obtinuisse; eam autem mihi quidem non promerenti si conferas, ingrato saltem non conferes, sed illi qui de tuis, & domus tuæ laudibus nunquam conticescet.*

R. Debonnaire.

# QVÆSTIO MEDICA

## CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XI. MARTII,

## M. QVIRINO LE VIGNON Doctore Medico moderatore.

*An Matris lac nonnihil vitiosum, quolibet altero, infanti salubrius?* 855



AC verè ros vitalis est, & alimentorum optimum: habet enim quasdam partes quibus molestiæ corporis tum interiores, tum externæ facilè mitigentur, alias verò quibus vim, & facultatem noxiorum expultricem, plerumque diutiùs otiosam, & debilem excitet, adiuuétque in agendo; cum etiam insuper plurimâ constet substantiâ cuius procliuis, & expedita sit in animantis membra commutatio: quæ commoda, vtilitatésque in sanorum, aut ægrorum vescendi ratione si desiderentur, illa sanè multò magis ex lactis muliebris, quàm cuiuslibet alterius vsu sunt expectanda: verùm quandoquidem humanitatis leges postulant vti minùs validum remedium, quod ægrotantibus gratum sit, & acceptum, potiùs quàm nullum exhibeatur; contabescentium aliqui cùm grauiter ferunt, & tandem respuunt, sibi vt pueris nutrimentum decerni, iisdem, sine dubio summopere salutarem medicinam aspernantibus; asininum lac erit præscribendum, conquisitis asinæ conuenientibus, accommodatísque morbo pascuis, vt ex eius vberibus, lac tale quale in Tabiis, quàm maximè fieri poterit, exprimatur.



ÆTERVM viuifici istius nectaris bonitas, adeo delicata est, & fugax, vt aëris præsertim calidioris contagione non minimùm vitietur, & breui euanescat, omnísque impuritatis impatiens, non paucos iam malè affectos graui offensione in præcordiis concitatâ lædat vehementiùs: enimuerò quemadmodum grandi macie torridis, & consumptis, non quidem suctum, sed affatim epotum, sacra est anchora, & tutissimum perfugium: ita capite dolentibus, febre correptis, & quibus flatibus suspensa, vel putrescenti colluuie turgida sunt hypochondria, maximi detrimenti parens est; frequentior eius vsus, nisi os vino, & melle colluas, dentes corrodit, sauciátque gingiuas fœdis vlceribus; quin imò licèt videatur mirificum solertis Naturæ, alimento medicamentum ingeniosè commiscentis opus, quo pueri infantes nutriantur, accrescant, & prosperè à superuacaneorum sarcina repurgentur; in illis tamen alieno vitio inquinatum, idoneam subministrat calculis, aphthis, & vermibus producendis materiam.



ÆC autem mala, longè certiùs infans ille declinabit quem matris alent mammæ, dummodò lac promant substantiâ paulò humidius, gustu suaue, odore iucundum, colore albescens, non spumosum, & tantum quantum iusta necessitas flagitabit: dicam tamen ampliùs; eidem futurũ est quolibet alio conducibilius, tametsi aliquantùm à probi lactis commoderatione abalienetur: lac quippe menstruo quod inseruit partibus in vtero effingendis, atque nutriendis germanũ est; nam quando calcitrat fœtus, ob motuum insultus, & validam venarum succos continentium compressionem, tunc inde impetu propulsus sanguis, per viarum laxitatẽ, & communionem, ad mammas refluit, in quibus rubore deposito, benignâ lactis specie à glandulis impressâ adornatur (nonnunquã tamen in quibusdã fœminis sine præuia conceptione, lac vtile scaturire, inauditum non est) deinde potenti lactentis suctione, vasorum ampliatione, & ob consuetudinis vim, in ἀραιοσάρκοις quidem, promptè omnis cibus lactescere videtur, in πυκνοσάρκοις verò, parciùs tardiúsque; sed maiorem eius copiam si cupias, abundè remediis diues est Medicina, quibus valeat hanc rei admodum necessariæ paupertatem subleuare.



ON planè ad id solum mammis mulieres instructæ sunt, vt earum raritas, & spongiæ assimilis mollitudo, superioris regionis absumeret reiectanea, nec solùm conditæ sunt ad cordis præsidium, cui grates agant propter accepta ab eo beneficia, calorem, vt vestimenta præstant corpori, continenter retribuendo: verumetiam vt longo ductuum tractu, & perenni thoracis agitatione, lac educando fœtui opportunum, in illis conficeretur, atque contineretur: ad eas enim Natura, quouis sagacior colono, postquam vterus sanguine satis irrigatus, auidiùs expetitum semen concepit, quicquid superest, & redundat gratiosi humoris, deriuat, ibíque paratos habet quasi subterraneos fontes quosdam, qui affluentem laticem recipiant, seruéntque non otiosè, sed eum spiritus leni calore, muliebríque mollitie concoquant, ac mutent, quo vnico, tanquam consueto familiaríque alimento, infans in lucem editus, donec primores dentes emiserit, saluberrimè possit satiari.



VARE simul atque natus est infantulus, primùm aquâ tepidâ eluatur; vt enim valde periculosum, tenellum eius corpus vino lauare; sic prorsus inhumanum foret, experiundi eius roboris gratia, ad exemplum & regulam priscorum Germanorum, id frigidæ immergere; deinde maternis papillis blandè admoueatur, hinc primis quidem diebus, lac hauriet minùs nutritium, quo intestinorum sordes per vniuersum grauiditatis tempus collectæ, commodè euerrentur; aliis verò consequentibus, succum longinquâ affinitate sibi coniunctum proliciet: alioquin si puerpera prauissimis humoribus scatere solita, sit valetudine, & naturâ infirmior, aut ad nouam prolem festinet, magno certè recentis partus dispendio, nutrix seligatur adolescens, quæ Bacchi, & Veneris intermittat studia, nouerítque motu, papillâ, & cantu, torminosos alumni sui dolores demulcere: diligenter autem obseruandum est, proferátne lac infantis corpori salutare, cum quo facilè amicitiam, & societatem ineat, coëátque; sed profectò cum puer etiam in vteri latebris, materni lactis aliquid, priuatâ suauitate prolectet, nullúmque nutrimentum adeo eius partibus simile, aliunde possit suppeditari, à sua parente aleretur longè fortunatiùs.

*Ergo Matris lac nonnihil vitiosum, quolibet altero, infanti salubrius.*




Proponebat Lutetiæ ROBERTVS DEBONNAIRE Ambianus. A.R.S.H. M.DC.XXXVIII.